



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput decimum octavum. De processu ab Anglis contra Mariam Scotiae
Reginam instituto variisque artibus quibus Angliae legibus eam subjicere
conati sunt, tum quomodo eadem ad causam dicendam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

in via ex insidiis, globulo plumbeo paullo infra umbilicum adacto ac prope renes transmissio, eodemque ictu Georgii Duglassi equum, qui ultra eum erat, exanimavit, ac celeriter sese subduxit. Moravius percussus paucis quibus supervixit horis, nullo pœnitentiæ signo edito, non invocato divino nomine, sed multis profusis blasphemis tandem expiravit, illa verba paullo ante obitum frequenter repetens: *Ego ex eis mingentem ad parietem non susperesse permittam*. Imminente jam extremo agone, totus in furorem versus, & horribilibus phantasmatis, ut qui cum diabolo rem habuisse creditur, agitato, sæpe exclamavit, *Ice, ice, ice*: qua voce Scoti in summa animi perturbatione uti solent. Sic vixit, sic mortuus est an. 1571. 27. Jan. miser ille Moravius; præcipuus quæ toto regno commissa sunt, sacrilegiorum auctor, & Catholicæ religionis extirpator. Mors ejus omnibus Protestantibus luctuosa fuit, & imprimis Anglorum reginæ. Nomen ejus hæretici statim Martyrum Catalogo adscripserunt, & magnificum ei tumulum sive Mausoleum extruxerunt, qui sepulera & monumenta majorum tota vita sua destruere satagebat. In quo quidem divinam merito agnoscimus justitiam, quæ eum qui reginæ suæ necem machinabatur, prius ad exitium pertraxit.

*Sic æquum fuerat, qui aliis intendere mortis
Casus parabat, prius ipsidem prendier.*

VI. Accepto de Moravii morte nuncio, Elisabetha Sufflexiæ Comitem cum decem circiter armatorum millibus ad limitem misit, cum Maria regina transigere se velle simulans, his tamen conditionibus, ut illa Angliæ reginam superiorem agnosceret, & Scotiæ arces ac loca munitiora Anglorum potestati permitteret, filium etiam regem & proceres aliquot obsidum loco traderet; tum omni injuriarum abjecta memoria, exteris federibus renunciaret, & à Catholica religione discederet. Quibus quum Maria assentiri nec vellet, nec posset, hæretici Elisabethæ animum multo majores suspicionibus impleverunt, Mariam non regnum modo affectare, sed reginæ etiam vitæ insidari dictitantes: quibus illa impulsâ (neque enim figulus figulo tantum, ut est in proverbio, sed & reges regibus invident) æmulam, uti videbatur, tollere decrevit, ut quæ tantarum virtutum etiam in captiva elucentem omniumque oculos perstringentem splendorem ferre non posset. Ad Mariæ calamitates illa quoque tum accessit, quod filius

ejus Jacobus VI. anno M.D.LXXXIII. procerum quorundam & subditorum prodicione, in custodiam datus fuerat, è qua tamen ille non multo post evasit.

[a] Elisabetha cum Maria in gratiam redire se velle simulat.

DE PROCESSU AB ANGLIS CONTRA Mariam Scotiæ reginam instituto, variisque artibus, quibus Angliæ legibus eam subicere conati sunt, tum quomodo eadem ad causam dicendam producta, ac tandem damnata sit.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.
ARGUMENTUM.

- I. Lex ab Elisabetha lata, unde postea supplicii de Scotiæ regina sumendi occasio sumta est. Babingtoni epistola.
- II. Scotia regina arctiori custodia mandatur.
- III. A quadraginta octo viris causa ejus ventilatur.
- IV. Quibus de rebus interrogata fuerit, & quid ad singula responderit.
- V. Eiusdem de Balarai facti responsio seu confessio.
- VI. Capitis damnatur. Aliquot ejus ad Gallie regem & Elisabetham Angliæ reginam epistola.

I. EA est rerum humanarum conditio, [a] ut nihil stabile, nihil diuturnum sub sole reperitur, sed miræ perpetua vicissitudo omnia in se circumvolvatur. Cujus non minus illustre quam luctuosum exemplum Mariæ Scotorum reginæ fortuna nobis exhibet: quam primo in regia dignitate collocatam, mox in acie ac prælio contra suos versantem, postea in lacu Lævino captivam, ac tandem in Angliam fugientem vidimus. Sed & miram rerum mutationem! Ecce enim dum jam illa omnes tempestates effugisse videtur, in ipso portu misera naufragium facit. Quid profuit è lacus Lævini custodia elapsæ gratulari, si postea eandem in carcerem multo terriorem compingi videamus? Nunc illa nobis tantum consolatio restat, quod omnia adversa æquo animo ferentem & ex alto quasi despicentem, sic denique humanas res supergressam prædicare nobis licet, ut nullus ad eam ictus pervenire possit.

Elisabetha quamprimum Mariam in sua habuit potestate, omnia sua consilia & cogitationes eò convertit, ut vivam eam sibi elabi numquam pateretur.

[a] Decretum Curie Anglicanæ.

teretur. Eum in finem in regni comitiis xxvii. anno regni Elisabethæ à xxiii. Novembris usque ad xxix. Martii sequentis anni celebratis decretum factum est in hanc sententiam: Quum salus hujus regni, secundum Deum, in reginæ incolumitate potissimum consistat; & vero manifestum sit, quæ consilia & conatus nuper tam extra quam infra hoc regnum, non solum contra reginæ personam & vitam, sed etiam in certissimam reipublicæ perniciem suscepti fuerint: propterea ut tantis periculis obviam eatur, rogantibus trium Ordinum ad hæc comitia legatis, communi Parlamenti auctoritate decretum est, Ut si posthac in regnis reginæ nostræ imperio subjectis quæcumque rebellio excitata, aut aliæ ejusmodi conspirationes initæ fuerint, quæ vel ad reginæ personam ac Majestatem lædendam, in favorem cujuscumque qui jus aliquod post mortem reginæ in hoc regnum sibi vindicet, vel ad regni statum perturbandum pertineant, xxiv. Judices è Consilio privato ac procerum ordine, ut & Curiali Senatu, quem Recordationis appellant, à regina nominandi, potestatem habeant, vi hujus decreti, de istis ac similibus cognoscendi, & post diligentem examinationem sententiam pronunciandi, ac reos damnandi. Qui damnati hoc modo fuerint, eos omni suo jure quod alias præterdere poterant, privatos, ac regni hujus incapaces pronunciamus, &c.

Quis non videt, decretum hoc unice eo spectasse, ut Scotiæ regina ab omni successionis jure, immo ipsa vita excluderetur? Qui ignominiosum Mariæ supplicium justitiæ prætextu palliare conantur, litteras allegant ad Babingtonum nescio quem scriptas, quibus illa libertatem suam ei commendabat. Sed ut proditorie hæc conficta esse appareat; totius rei seriem paullo altius exponam. Gilbertus quidam Giffordus postquam aliquot annos tam in Rhemenfi quam Romano Seminario litteris operam dedisset, in Angliam reversus ut Dei & Catholicæ Ecclesiæ causam promoveret, diaboli causam summa diligentia egit, ab hæreticis persuasus, ut operam suam in pervestigandis ac protrahendis Catholicis commodaret, Walsinghamo viam commonstrante qua commodissime id facere posset. Eodem suggerente Giffordus in Rhemense Seminarium reversus, sacerdotio inaugurari voluit: deinde Lutetiam profectus, in Thomæ Morgani nobilis viri, & qui de Maria regina in libertatem vindicanda vehementer laborabat, familiaritatem sese insinua-

vit. Quam in re Giffordus quoque suam ei operam promisit. Sic ergo à Morgano in Angliam remittitur, datis litteris quas ad Babingtonum perferret. Ille literas Thomæ Philippo Walsinghami Secretario describendas dat, deinde Catholicis quibus inscriptæ erant, tradit, & responsum petit. Giffordus postea Lutetiæ comprehensus, multis apud eum deprehensis litteris & instructionibus, totum hujus prodicionis ordinem detexit. Hæretici subodorati Catholicos in Maria regina liberanda satâgere, atrocem ei hinc invidiam & odium conflare, regni affectari crimen improperebant. Capitur Babingtonus, & quæstionum doloribus ac tormentis victus, plus fatetur, quam sciebat. Elisabetham anxiam Walsinghamus magis impulit, & ad cognatæ cædem animavit. Quin vix quisquam in aula erat, qui non miram de reginæ salute sollicitudinem præ se ferret. Eodem tempore Hugonota quidam Gallus Cavagnius nomine, capitis supplicio postea Lutetiæ ob prodicionem & alia flagitia affectus, à Calvinistis subornatus, Mariam perdere omnibus modis studebat. Unde tandem factum est, ut Elisabetha Mariæ cognatæ necem apud se decreverit, misso certo homine ad Sarisburiensem Comitem, summum rerum capitalium quæsitorem, cum mandatis, ut quamprimum litteras accepisset, Mariam quam in custodia habebat, supplicio afficeretur. Ejus rei quum indicia quædam ad Lamottam Fenelonium regis Christianissimi Oratorem emanassent, statim ad Elisabetham profectus, tam multa eam in rem diffudit, ut illa quietem noctu capere non posset. Dormiebat cum Elisabetha in eodem cubiculo Staffordiæ domina: cui illa è somno excitæ insomnium suum narravit, nimirum visam sibi Mariam primum, deinde se quoque decollari. Tum Staffordia, Causa, inquit, hujus somnii procul dubio est decretum contra Mariam supplicium. Quia vero res adhuc in integro est, suaserim ego ut Consiliariis aliquot acceritis, quid illa in re faciendum sit amplius deliberes. Vocantur ergo Comes Lancastriæ & Betfordiæ, nec non magnus regni quæstor seu Thesaurarius: qui ut ante acerbæ in Mariam sententiæ auctores fuerant, ita nunc ut ne reginam offenderent, differendam eam esse suadebant. Mittitur ergo ad Sarisburiensem Comitem Georgius Lancastrii domesticus, tanta usus celeritate, ut illum alterum pæne præverterit.

A a 2

Hoc

[a] Historia de Antonio Babingtono.

Hoc nuncio Mariae reginae familia recreata, melius sperare coepit: sed ea spes non multo post in summum maerorem fuit conversa.

II. Elisabethae enim jussu Maria ab Amia Paulero Anno M. D. LXXXVI. die XI. Augusti, auctiori custodiae fuit inclusa. Unde quum paullo post ad venationem, qua plurimum delectabatur, profecta, & aliquanto celerius progressa esset, apud Paulerum tardiufcule subsequenter, quod eum praestolata non esset, sese excusavit. Ille comitem accepta excusatione, Nuncium ab Elisabethae regina, cum mandatis ad ipsam, adesse respondit: qui ex equo descendens Mariam sic affatus est: Elisabetham reginam satis mirari non posse, quod clandestina contra ipsam & regni statum consilia tractare non cesset: quod suis ipsa oculis viderit ac legerit. Quum ergo de ministris & domesticis quosdam in culpa esse non ignoret; non aegre ferre debere eorum seperationem. Reliqua ex Paulero intelleturam. Ad haec regina, Non primam, aiebat hanc esse calumniam, qua apud reginam traducta esset. Ab ejusmodi suspitione a praesenti in qua esset fortuna satis superque se purgari, etiamsi singularis illa animi affectio atque observantia, qua semper ipsam prosequuta sit, ejusmodi conatus non inhibuisset. Sed facile videre se quid agatur. Perenti cum Navio secretario suo colloquium, non solum illud denegatum fuit, sed ministri plerique aut vi ab ea distracti, & in diversas custodias abducti, aut alius alio hinc inde dilapsi sunt. Paulerum deinde aliam viam ingressum, regina quonam ipsam abduceret rogat. Quum ille in multo commodiore locum dixisset, regina, Ego, inquit, moriar potius, aut ad eum unde egressa sum locum redibo. Statimque ex equo desiliens, quum pedibus aegre incederet, pedissequa sustentante gressum adjuvabat. Tum ad Paulerum conversa, inter lachrymas & singultus, Turpe aiebat & indignum esse, liberam & exteram Principem feminam hoc modo tractari. Comitatum sibi adjunctum latrone potius quam regina dignum. Reginam se quoque esse, nec minus illustri familia prognatam quam Elisabetham: quam in se multo aequiorem esse sciret, sed a Consiliariis utriusque male volentibus seduci. Viderent ergo quid agerent, & ad quorum injuriam ista pertinerent: quam sine dubio aliquis exterorum Principum esset vindicaturus. Tandem quum frustra haec a se dici videret, Paulerum rogat, cujus jussu ita secum age-

retur: Ille Elisabethae jussu respondit, prolatis literis, quibus ei mandabatur ut Mariam in arcionem deduceret locum, addita quanta opus esset custodia, donec aliud ipsa fieri juberet. Tum Maria exclamans,

Hac, inquit, dextra fide/que est?

Sic nos in scepra reponis?

Quum hoc modo fortunam suam aliquamdiu deplorasset, tandem appetente jam nocte, equum rursus conscendit; Tiqueshallam, in Walteri Alchamiae res deducta: Paulerus vero missis aliis quod e suis, omnes Mariae ministros & domesticos in custodiam dari, omniaque conclavia, arcae & chartophylacia obsignari jubet: qua postea a duobus reginae consiliariis aperta ac provoluta sunt, atque inde tres corbes chartarum pleni asportati. Haec XVIII. Augusti facta sunt. Decem diebus post Maria Chartelaium deducitur, magnum cum comitatu. Ibi quum esset, Paulerus die quodam Mariae nunciari jubet, habere se pauca quae cum ipsa loqui vellet. Morbum excusantem nihilominus adit, & argentum atque aurum quod penes se haberet, consignari sibi petit: quippe famam spargi multos pecunia ab ipsa ad prodicionem subornari, & ad rebellionem excitari. Illa calumniae hujus atrocitate vehementer offensa, licet diligenter admodum se purgaret, impetrare tamen non potuit, quominus omnis ipsi thesaurus fuerit ablatus, etiam ea quae ad sumtus funebres illa destinata. Detrahitur ei tum quoque omne fere fuit ministerium, ac pauca tamen necessaria tantum relictis. Non multo post idem Paulerus iterum reginam adit, & argentorum criminum a diversis insimuletur ostendit; imprimis Babingtonium quendam confessum esse, sex viros a se subornatos qui Elisabethae occidendae partes susceperint; quae de patratâ conjurati iniecto in proxima horrea igne, omnibus ad incendium restringendum accurrentibus, Paulerum cum uxore & familia occidere, & Mariam a custodia educere ac reginam proclamare constituerent: & ad eam tuto deducendam equites aliquot in propinquo collocandos. Maria insignem hanc adversariorum mentendi libidinem demirata, iterum diligenter se purgat, de Babingtonio imprimis, quem sibi notum quidem esse jurabat: addens nihil haecenus insidiosae aut proditoriae a se contra reginam tentatum, sed varias etiam machinationes contra eandem detectas. Aliquanto post Paulerus aere in salubrem causatus, reginam monet, sibi ejus aliò

aliò deducendæ negotium datum esse. Inde ergo xx. Septembris digressa, quum Bortonium pervenisset, rursus à Nobili quodam ab Elisabetha misso, qui secretum cum ea petierat colloquium, de eo ipso quo antea à Paulero monetur, quod nimirum contra reginam secreta consilia injisset. Sed illa multis adductis argumentis innocentiam suam non minus quam adversariorum malitiam manifeste demonstravit.

III. [a] Octobris Calendis Paulerus Mariam reginam certiore facit, Elisabetham de iis quæ ipsa ad objecta respondisset edocetam, vehementer admirari quod nihil eorum, de quorum tamen veritate satis superque constaret, fateretur. Quare è Consiliariis suis mittere aliquos decrevisse, qui ipsam interrogent. Tum Maria non modo nullum timorem, sed lætitiæ potius vultu testata, quidquid futurum sit, æqui bonique facturam se respondit. Post XI. Octobris Judices ab Elisabetha delegati Fodringhamum (id arci nomen est, ubi captiva asservabatur) venerunt: quorum nomina statim Mariæ reginæ sunt edita. Erant vero Thomas Bromleius regni Cancellarius, Gulielmus Buchorhtus regni thesaurarius, Eduardus Comes Oxoniensis magnus Cubicularius, Georgius Comes Sarisburiensis regni Marescallus & supremus Justitiarius, Henricus Comes Derbiensis, Gulielmus Comes Vigoniensis, Eduardus Comes Rutlandiæ, Georgius Cumbriæ Comes, Ambrosius Comes Varvicensis, Henricus Comes Lincolnensis, Antonius Montis acuti Vicecomes, Eduardus Savagius, Eduardus Morlaus, Eduardus Straffordius, Arturus Greius Viltoniensis, & alii, numero triginta quattuor. Hi quum in sacello arcis ad audiendam concionem convenissent, interea ad Mariam litteras ab Elisabetha sine ulla honoris aut amicitia præfatione scriptas mittunt, quibus significabat: Quandoquidem ea quæ certo sibi comperta essent, negare persisteret, tum etiam ullius iudicio submittere se recusaret; Proceres quosdam, Consiliarios & Jurisconsultos ab se delegatos: qui in omnia diligenter inquirerent, & secundum leges pronunciant. Quum ergo in regno ipse iam sit, legibus quoque ejusdem subiectam esse. Ad hæc Maria pro solita animi magnitudine respondit, Nullam agnoscere se Elisabethæ aut ejusquam alterius imperium. Scriptas illas litteras esse tamquam ad subditam: se vero non minus quam Elisabetham reginam esse; & regis filiam & Elisabethæ proxima cognatione junctam. In Angliam venisse Elisabethæ pro-

missis illectam, ac præter jus omne custodia inclutam. Multa in se crimina ab adversariis conficta esse, illud in primis quod contra vitam reginæ aliquid machinata fuerit, quod falsum esse liquido sit demonstratura.

IV. [b] Hæc agebantur in spaciofo quodam concinaculo, quod non procul à reginæ conclavi distabat. Ad parietem Judices delegati sedebant; in medio vero mensæ quædam collocata erant; sic denique locus inclusus, ut præter Commissarios nemo intrare posset. Quum delegati ingressi essent regina quoque intravit, velum capite ferens, & talarum tunicam induta, cujus oblongum syrma pedisse qua ferebat. In sella holoserico strata collocatam præregali Satellitio, puella quædam è gynæceo, aulæ præfectus, medicus, & alia ministeria circumstant. Ibi Cancellarius longam exorsus orationem causam ejus conventus exposuit, ut nimirum eorum quorum Mariæ rea diceretur, & in primis quod contra Elisabethæ reginæ vitam & statum aliquid molita esset, veritas inquireretur. Id dum fieret, reginæ quæcunq; posset ad sui defensionem conquiriti ac proferendi facultatem concedi. Deinde ad reginam conversus, rogat eam ut commissionis & mandatorum sibi datorum tenorem cognoscere velit. Tum illa multis itidem exposuit, quomodo in Angliam olim venerit, ut promissis sibi à regina auxiliis in recuperando regno uteretur: Sed non modo spe & promissis esse frustratam, verum etiam contra omne jus jam totos septemdecim annos in custodia asservari. Liberam se nihilominus & supremi juris esse Principem; nec delegatos illos aut quemcumque alium pro iudicibus agnoscere. Et licet coram illis comparuerit, non tamen hoc vel ad suum vel ad filii aut regni sui præjudicium pertinere debere: quum id eo tantum fecerit, ut toti Mundo innocentiam suam testatam faceret. Ibi Cancellarius ullam Mariæ ab Elisabetha promissum esse auxilium negavit: addens, protestationem illam frustra interponi, nec quidquam supremo Elisabethæ juri & Majestati derogare. Quum enim talis in Anglia criminis se ream fecerit, merito etiam legibus ejusdem esse subiectam. Inde jubente Cancellario Mandati formula lecta est: quam quum Maria pro legitima se non agnoscere dixisset, Procurator Fiscalis illius æquitatem & jus reginæ Elisabethæ multis demonstrare conatus est. Inde ad ipsum crimen ventum: cujus probationes

[a] Maria à delegatis interrogatur. [b] Quibus de rebus Maria accusata fuerit, & quid responderit.

quum ex Babingtoni, Georgii, & sex aliorum confessionibus peterentur, regina verò Babingtonum ignotum sibi esse, nec umquã cum eo, uti etiam sex illis aliis, quidquam vel ore vel scripto communicasse, respondisset, alter Fiscalis Procurator (duo hi seorsim mensæ assidebant) litteras à Babingtono paullo ante mortem scriptas protulit. Hæc ante meridiem acta. A meridie rursus complures epistola, tum Navii & Curlei reginæ domesticorum depositiones perlectæ: ad quæ singula regina sufficienter respondit, quamvis tumultarie ac sine certo ordine & interrogandi ac respondendi modo omnia agerentur. Quum inter cetera Thesaurarius ei objecisset, quod in Gallia jam olim Anglicani regni insignia & titulum usurpasset, illa, Non sum nescia, inquit, hunc maxime esse aculeum qui Elisabethæ sororis meæ animum pungat. Atqui ne ipsa quidem ignorat, id non meo, sed Henrici II. Galliæ regis, foceri mei consilio factum esse. Replacanti Thesaurario, cur non post factam pacem ipsa insignibus illis abstinerit, respondit: Nulla conditione obligatam fuisse, ut jure suo tam facile cederet aut renunciaret. Elisabethæ tamquam natu majori, lubenter se cessisse & adhuc cedere; modo illud quoque ipsi faterentur, se proximam esse hæredem, Jacobi V. quippe filiam, & Henrici VII. neptim. Notos sibi esse inimicorum conatus, qui non hoc jus tantum sed & vitam ipsi eripere unice studerent. Sperare se nihilominus, Deum à quo hæcenus clementer servata sit, patientiam ad perseverandum quidquid tandem futurum sit, sibi concessurum: atque eundem rogare, ut de ipsa quod visum fuerit statuatur, ad nominis sui gloriam & Catholicæ fidei, pro qua libenter sanguinem profusura esset, propagationem, Minas omnes & terrores facile se contemnere, omniaque pati decrevisse; utpote certam, quæcumque Dei ac religionis causa relinquerentur, cum fenore rursus adjici, aut multo melioribus bonis compensari eos vero qui Deum hic negarent, in altera illa vita rursus à Deo negari, atque adeo æternis suppliciis addici.

(a) V. Tam Babingtoni inde quam aliorum litteræ ac scripta sæpe lecta ac relecta sunt; ac tandem Balardi cujusdam confessio, unius ex iis qui Elisabethæ mortem machinati dicebantur. Rogata an Balardum nosset, ab amicis ex Gallia monitam se respondit, venturum in Angliam propediem eo nomine hominem, Catholicæ religionis perstudiosum, qui quæcumque posset ei

officia præstare cuperet. Interea verò aliunde ad se delatum, eundem Valsingamo esse valde familiarum: Valsingamum vero infestum sibi admodum esse, ac tam ipsam quam filium sublatos cupere. Hæc de Balardo scire, quem numquam viderit vel audiverit, nec quidquam cum eo communicarit. Ibi Valsingamus consurgens, nihil tale sibi umquam in mentem venisse protestatus est, nec quidquam à se factum aut dictum quam quod à bono & fideli erga reginam subito requireretur. Amplius deinde rogata, eequid de quatuor illis equitibus sciret, qui ut Elisabethæ occisæ nuntium ad ipsam perferrent, destinati essent: Nihil omnino sibi notum esse respondit, Prolatæ inde literæ characteribus consignatæ: quarum nonnullas ipsa agnovit, nihil tamen quod nocere ipsi possent, continentes. Morganum quidem iis fortasse ad alia usum: eorum tamen quæ vel ipse vel Parrus contra reginæ vitam machinati dicantur ne in minimo quidem consciam esse. Navium Galliarum regis esse subditum: nec se iis Principum Christianorum ad reddendam de eorum qui libertatem ipsius querant aut optent actionibus rationem teneri. Ad pensionarios quod attinet, habere Angliæ reginam tales in ipsa quoque urbe Roma, & quidem diversæ religionis. Sed longum esset omnia, quæ illa non sine Iudicum admiratione ad sui defensionem disputabat, recensere. Tandem ad Thesaurarium & utrumque Fiscalem conversa, Profecto, subridens inquit, satis duriter à vobis hac quidem vice tractata sum; quæ tamen vestras versutias minime intelligo. Sed id Deus vobis condonet. Hic finis fuit hujus actionis: è qua, ut & totius processus forma Mariæ reginæ facile conicere licebat, caput suum peti, sequæ jam ante ab iisdem iudicibus Londini prædamnata: hanc vero actionem eo fine tantum institutam, ut injustæ sententiæ executioni color aliquis justitiæ quereretur. In sermonibus quoque cum Pauleto habitis palam ostendebat, nullam aliam ob causam quam ob Catholicæ religionis professionem tantis odiis se exagitari; idque agi ab adversariis, ut quamvis omni crimine libera, in perduellionis damnatorum numerum referatur. Quare multo ardentius precibus ad Deum fundendis incumberebat: interim vero in omnibus sexu majorem animi constantiam præ se ferebat.

VI. Quam-

(a) Maria ad Balardi depositionem responso.

(a) VI. Quamvis autem delegati illi Iudices nulla confessione aut sufficienti probatione intentati criminis Mariam reginam convincere potuerint: Elisabetha tamen sententiam contra ipsam à Iudicibus latam exsequutioni mandare decrevit. Quare missis die Novembris XIX. ad Mariam Buchorsto & Besleo, quid à Iudicibus decretum esset nunciari jubet. Ii unà cum Paulo & Drurio reginam accedentes, monent ut quandoquidem infidiarum Elisabethæ vitæ structarum rea peracta sit, culpam fateatur ac detestetur, & ad mortem sese præparet. Ibi illa nihil territa, nihil gratius jamdudum nunciari sibi posse respondit, ut cui mors multo minus quam tam diuturna captivitas acerba futura sit. Agnoscere se Angliæ consuetudinem, ubi omnes qui jus aliquod in regnum sibi vindicant, morti traduntur. Gaudium suum omne non jam in terris, sed in cælo esse. In tam justa causa non lubenter tantum, sed & cupide mori se velle. Illud unice sibi dolere, quod Catholicos tam dura ac dira hæcenus perpeffos, nondum in libertatem & majorum religionem restitutos, & vexationibus illis liberos videre possent. Monita deinde, quod paulo ante Arondeliæ, Pembrochiæ, Northumbriæ & Westmerlandiæ Comites mille & quingentorum equitum ac decem millium peditum exercitum ad ipsam libertandam confecerunt, sed jam in turri Londinensi & ipsi captivi asservarentur; id omne se inficia factum esse dixit: nec dubitare tamen quin à Galliæ rege & Guisus avunculis suis fuerint instigati, ut pro ipsa in libertatem vindicanda aliquid tentarent Besleo replicante, ipsam Angliæ reginæ æqualem esse voluisse, quum tamen non ignara esset, uno in regno non plus quam unam supremam esse potestatem: indignabunda, Ego, inquit, regina semel consecrata sum, & si vel sordidissimo carceri aut ergastulo includar, regina esse non desino. Addens, vi in Angliæ se detineri, nec ob ea quæ pateretur, quidquam regis suæ dignitati vel juri derogari posse. Ius sibi esse in Anglicani regni successione multo quam ipsi melius, ut quæ sola ex Henrici VII. posteris superesset. Quomodo vero æqualitatem affectare possit, quæ captiva detineretur? Verum quid, inquit, opus est verbis, quum jam damnata sim? Tum Buchorsto, à Parlamento quidem jam latam esse sententiam, ait; verum à regina adhuc suspensam, ut tanto melius ad mortem præparandi se tempus haberet. Ergo, illa inquit, pecuniam meam jam olim funeris sumitibus à me destinatam, sed nuper ablatam; ut & chartas meas ac condendum te-

stamentum, reddi mihi velim. Quod & ex parte factum, Postridie eisdem rursus ad se vocavit; & post longum cum eis habitum sermonem, Gallica lingua epistolam ad Elisabetham scripsit, hoc argumento.

(b) DOMINA. Ad mortem, ex ijs qua renunciari mihi iussisti, jam dudum preparata, apud Deum & te protestor, tam lubenter me ex fallaci hoc mundo discessuram, ut postea nihil aliud mundanum quod quoquo modo oblectationem aliquam afferre possit, sperarim aut desiderarim, præter id quod ad subleuandam meam conscientiam per Buchorstū & Besleum, & per postremas litteras manum mea scriptas à te petii: quod totum tua est benevolentia, nec ad cuiusquam pertinet offensionem. Quantum ad superiores meas petitiones attinet, partim earum mihi concessæ sunt, & imprimis elemosynario meo pars pecunia mea est reddita; sed ex libris & cartis, pauca tantum ad me relata sunt. Quia vero existimo non te velle ut ea quæ mea sunt, & imprimis quæ ad dotem meam propter nuptias attinent, in alienas deveniant manus, quum ex eisdem nulla tibi quoque sperari possit utilitas, ego vero sine illis supremam meam voluntatem vix, ut volo ordinare possim: rogo ut omnes libri rationum, chartæ, codicilli, ad rem meam privatam spectantes, mihi reddantur, ut & quod pecunia reliquum est, quod de omnibus ut volo disponere, tum debitorum meorum rationes inire, quæ exciderunt in memoriam revocare, & hæc omnia testamenti mei exsequutoribus, quibus magno usui post mortem meam futura sunt, tradere possim: præsertim quum sine iis Navii secretarii mei, qui captivus jam detinetur, commentarii, plane mihi sint inutiles, nisi vel coram, vel saltem per litteras cum eo communicandi, & omnia accuratius ex eo intelligendi mihi sit facultas. De quibusdam etiam cum Paulo & Drurio loquuta sum, de quibus illi ad te scripturos se receperunt, à quibus jam responsum expecto, ut & chartas aliquas, & pauca à Navio Secretario meo: nec convenire arbitror, ut litteris meis amplius tibi molesta sim. Vereor enim ne prior mea epistola tibi sit reddita, aut quod eam legere nolueris, persuasa fortasse magnum quid aut singularem aliquam gratiam in ea me petere; aut verita, ne meis commota demonstrationibus ingenii tui humanitas ad perdendum tam miserè proprium tuum sanguinem te faceret cunctantiores. Atqui, Domina, frustra illi quicumque sunt, tantam sibi pusillanimitatem ab utraque parte imaginantur. Omnem his scrupulum quem illis imata tibi humanitas & comitas injicit, facile

[1] Maria Scotica regina capitis damnatur. [b] Maria Epistola ad Elisabetham.

facilia eximere poteris, si petitionis meae ac simul voluntatis tua summam eis indices, quarum illa hoc tantum spectat, ut pauca mihi in morte mea gratificeris: quae quum constituta semel & certa jam sit, facile concedent, spero, ut mortua corpora sepultura, vel ob cognitionem, vel certe ob charitatem Christianam debita afficiatur. Quapropter per passionem Domini nostri Iesu Christi iterum te rogo & obsecro, ut ne diutius in miserissima hac mortis expectatione, omnibus panis acerbiore, me relinquant, sed decretum & voluntatem tuam plane significes: promittens, si petitioni meae annueris, me in ipsa morte Deum pro salute tua & omnium temporali, quam aeterna felicitate deprecaturam. Quod si repulsam passa fuero, omnia tamen patienter feram, adeoque eo nomine multum me tibi debere existimabo, quod acerbissima hac expectatione diutius me torquere nolueris, sed ex misero hoc statu liberaris: in quo utinam ministrorum meorum miseria, tam valitudinis quam temporis iacturam sine ullo opere precio facientium, cognita tibi essent! Scire denique exopto, si ante mortem meam secreti aliquid quod vel ad te vel ad alios attinet, communicare tibi velim, cui tuto id possim committere: quum plures sint, qui varias ob causas etiā qua indicata fuerint, minime ad te sint perlaturi. Interim DEVM veneror precorque, ut tantum felicitatis tibi in hoc Mundo largiatur quantum ego inde discedens, in illo altero, misericordia ipsius confisa exspecto, quam non mihi tantum opto atque imploro, sed etiam omnibus iis, qui per mortem meam innocentem me ex vita hac misera protrudere atque exterminare satagunt. Idem Deus Optimus Maximus clementer omnibus condonare velit, qui me a lumina ti fuerint; uti & meis, si qui forte fuerint apud quos temporalis utilitatis aut spei respectus plus valuit quam conscientia, officium & fides. Sapientia tibi ipsi abunde est, qua & rebus tuis post mortem meam consilire, & particulariter ad tuas utilitates accommodare omnia possis: quod fiet in primis si virtutem ipsam a falso eius colore, & officium ac fidem a cupiditatibus ac passionibus animi, atque inde profectis consiliis bene discernas. Equidem spero mortem meam, quam tot votis exopti jam video, multas tibi ac aliis magnasque res commonstraturam, quibus spes sit Dei gloriam illustratam iri: optoque ut omnia ad divini nominis honorem, tui aificationem ac conservationem, ut & totius huius insulae prosperitatem ac salutem eveniant: pro qua etiam in meliori fortuna, sanguinem ac vitam meam profunderi nunquam dubitem. Sed, ut dixi, equidem lubenter ex hac vita discedo, in qua me video tam patriae quam tibi, (cuius ament omnia bona, utpote tam propin-

qua cognitione de vincta, semper optavi) parum utilem esse posse: contra vero plures meo nomine ad malitia sua colorem ac praetextum abuti: quarum omnium rerum, uti & meorum consiliorum ac cogitationum iudicium Deo iustissimo Iudici committo. Ex carcere meo Forthinghamensi, Anno MDLXVIII. die XII. Ianuarii.

Aliam huic subjungam, quam paullo ante mortem eadem clarissima regina ad Galliae regem itidem propria manu scripsit: hoc argumento.

(a) DOMINE affinis. Postquam Dei peccata mea punituri permissu, Regina huius meae cognata potestati me tradidit, ac plus quam viginti annos in summis molestis & arumnis hic exegi, tandem tam ipsius quam Senatus sententia ad mortem me damnatam esse intellego. Rogavi quidem ut charta mea ablata ad commodius disponendam supremam meam voluntatem, mihi restituerentur; sed nihil eorum quae mihi usui esse possent, uti nec alterius condendi testamenti facultatem haftenus impetravi. Petii quoque ut post mortem corporis mei in regnum vestrum, cuius regina olim fui, transportandi meis fieret facultas, sed & hoc negatum. Hodie à prandio mortis mihi denunciata est sententia, qua in me tamquam criminis rea peracta, cras hora septima ante meridiana, sine ulla longiori mora, executioni mandabitur. Quia ergo omnia & singula quae hic acciderunt, prolixè narrare jam non vocat; ea tam ex Medico meo, quam aliis meis ministris intelligere poteris. Illud mihi credas velim, me per Dei gratiam mortem nequaquam reformidare, sed contemnere; quam etiam innocentem me ab omni crimine subire protestor. Duae sunt omnino damnationis meae & mortis causae, Catholicae religionis professio, & iuris quod Deus mihi in hoc regno dedit, defensio: nec tamen dicere mihi licet, mihi ob Catholicam religionem moriendum esse: sed id unice agitur, ut meam cum illorum religione permutem. Quem in finem Eleemosynarium meum à me abstraxerunt: & quamvis in iisdem adhuc sit adibus, eum tamen ad audiendam confessionem meam & Deminici corporis communionem me reficiendam admittent recusant: sed urgent ut ab ipsorum, quos ideo adduxerunt, Ministris & concionatoribus tam doctrinam quam extrema solatia accipiam. Quomodo vero in hac vita mea catastrophe me gesserim, hi qui literas has ad te perferent, plerique in tuo regno nati, restabuntur. Restat ut rogem te atque orem, quandoquidem in omni sermone te singulari me amore prosequi testatus es, ut iam virtutem illam tuam omnibus in rebus, quibus potes, erga me ostendas atque exerceas, in primis vero

(a) Maria ad regem Galliae epistola.

in remunerandis ministris meis conscientia mea succur-
 ras, & quod ipsa facere non possum, in te recipias. deinde
 ut preces fieri iubeas pro ea qua olim Christianissime
 Regina titulo fuit insignita, & iam Catholica mortitur,
 omnibus fortunis spoliata. Ad filium meum quod
 attinet, velim ita cum vii merebitur, commenda-
 tum habeas (neque enim pro eo respondere possum) uti
 & meos omnes famulos & domesticos: pro quibus iunctis
 apud te manibus intercedo. Mitto ad te duos lapides,
 rare ad tuendam sanitatem virtutis, quam ego tibi per-
 petuam, vitamque diuturnam ac felicem opto. Eos ro-
 go tamquam ultimum animi pignus ab amanti, ma-
 tua glorie iam iam moriente accipias. Famulos meos iterum
 tibi commendo. Ex his que mihi apud vos debentur, rogo
 ut tua liberalitate pro quo ego qua primium his corporis
 vinculis exessevo, Deum deprecabor) religiosorum
 Conventus ad Dei honorem fundetur, tum elemosine
 requisite distribuantur. Die Mercurij, secunda
 post mediam noctem hora.

Post Buchorsti & Beslei discessum Pauletus, ex
 reginae cubiculo regia insignia asportari iusse-
 rat: tum illa sacram tabulam in eorum locum
 ad pietatem animi excitandam eo ipso loco af-
 fixam Pauleto alio die redeunti, commonstravit,
 his verbis: En tibi multo regalius ornamentum
 quam id quod mihi auferri iussisti. Porro quo-
 niam aliam quoque epistolam ad magnatem
 quendam in Gallia ipsius quoque manu scriptam
 natuus sum, eam huc apponerere visum est, ut ea que
 paullo ante morte ipsius facta sunt intelligantur.

Consilium de fuga toties mihi propositum, sed infi-
 ditorum metu diu omissum tandem amplexus sum.
 Que acciderint, ex Medico & alijs meis ministris in-
 telliges. verum & quatenus condendi testamenti
 facultas mihi futura sit nescio, ac si maxime permit-
 tantur, rationem tamen qua id facere possim, vix vi-
 do, tam nummis qua libris meis & chartis omnibus ab-
 latis. Accepit quod & ad hanc rem idoneum hominem
 non habeo qui operam suam mihi prastet: quamvis ut
 saltem Elemosynarj mei potestas mihi fieret, rogavi
 sed nullum adhuc accepi responsum. Quocirca si horum
 mihi confiet, rogabis Sanctissimum D. N. Pontificem,
 Regem Christianissimum, Regem Hispaniarum, Ducem
 Lotharingie & alios Christianos Principes, amicos
 & cognatos meos, ut eorum ope tam nummi quam libri
 mei itemque suppellectilia que nondum inter ministros
 meos & creditores distributa sunt, restituantur. Scio
 hanc orationem non parum admirationis animo tuo
 allaturam: sed scire debes, a Buchorsto, Pauleto (quem
 equum mihi & benevolam experta sum) Dravio, &

Besleo significatum mihi esse me Parliamenti suae Or-
 dinum huius regni sententia ad mortem esse damnatam:
 idque regina iussu se mihi renunciare, simulque horren-
 ri, ut culpam meam & delictum in ipsam agnoscam.
 Ut vero tanto aequiori animo mori, & conscientiam
 meam exonerare possem, Episcopum & Decanum a regi-
 na ad me mitti aiebant. Illud quoque addebant, causam
 mee mortis esse instantissimas subditorum preces, qui
 reginam, vivente me ipsius competitorice (ut que iam
 olim titulum & insignia huius coronae usurparim, ne-
 que ijs abdicare me nisi sub proxime heredis condi-
 tione voluerim) nullam vitam aut Status securitatem
 promittere possint: quum etiam nunc Catholici ma-
 supremam suam dominam agnoscant & appelleat, ip-
 sius vero reginae vita tot insidijs appetita sit. De-
 inde, (cuius quidem rei precipuam habeat rationem)
 quam diu ego vixero, statum religionis quam eadem
 regina profiteatur, tutum atque incolumem in hoc
 regno consistere non posse. Ad que sic respondi, Deo
 me gratias agere tanto honore dignanti, ut ad Catho-
 licæ religionis in hac insula restitutionem commodum,
 immo necessarium instrumentum esse dicar: cuius
 quamvis indigna, & perpetua sectatrix & tutrix esse
 velim, atque sanguinem meum, ut non semel
 protestata sum, pro Catholice Ecclesie causa pro-
 fundere parata sim. Quod si populus ad pacem ac
 publicam utilitatem huius insule mortem meam con-
 ducere existimet, me equidem non recusare, quæ
 viginti annorum quibus hic detenta fui, captivita-
 tem vita mea compensem. Gratias etiam Deo me
 agere, quod sine horum Episcoporum ac Doctorum
 opera peccata mea tam in Deum quam in Ecclesiam
 agnoscam, nec unquam istorum errores & doctrinam
 approbauerim. At si Catholici sacerdotis mihi fiat po-
 testas, me libenter eo tam ad exonerandam conscien-
 tiam quam Sacramentorum usum percipiendum usu-
 ram: utque talis mihi permittatur, per omnia sacra
 rogare atque obtestari. Dicentibus, futurum fortasse,
 ut in Sanctorum aut Martyrum referat catalogum,
 quum tamen meritis reginae, cui sceptrum excu-
 tere conata sim, intentati parricidij poenas luam,
 respondi: nequaquam me tam arrogantem esse ut ad
 divinos illos honores adspirem: ac quamvis illi divinis
 permisso, non vero villo pretextu iustitie, (quum
 regina sim que superiorem non agnoscat) in corpus meum
 potestatem habeant, nullam tamen habere in animam
 meam, nec spem istam mihi auferre posse, Deum per mi-
 sericordiam suam qua pro me mori voluit, sangui-
 nem ac vitam meam, quam pro defensione Ecclesie

Bb extra
 (1) Mariae ad Gallie quendam magnatem Epistola.

extra quam nullum omnino quantumvis regnum mihi optem) lubenter impensura sum, clementissime in manus suas suscepturum, daturumque ut dolores aliaque quas sustinui arumnae, ad peccatorum meorum ex parte faciant expiationem. At me opera, hortatu, consilio aut quouis alio modo reginae mortem procurare voluisse, id vero me pernegare: quam privati mei emolumentis carissa ne taliter quidem ledi velim. Atque (aciebant illi) non solum permisisisti, sed consulisisti etiam, ut Angli supremam suam dominam te nominarent, ut ex Alani & aliorum apparet Litteris quibus non contraxisisti. Respondi, me quidem in meis litteris nihil tale mihi vindicasse: modum tamen Doctoribus & Ecclesiasticis personis, quomodo me nominare debeant, prescribere non potuisse; quum meum sit quod Ecclesia decreuerit approbare, non vero corrigere. Nec vero illud mihi obesse debere (quod iidem obiecerant) quod Pontificis iussu sub eiusmodi titulo, nempe Anglorum reginae ac supremae dominae, preces passim apud Catholicos pro me concipiuntur: quum haec omnia ignorante me fiant. Me denique dum Ecclesiae obediam mori malle, quam ad ius meum vindicandum etiam de quocumque e medio tollendo consilia inire. Intirrim videre me Suis contra Dauidem persequutionem, in hoc tamen differente, quod mihi non perinde ac Dauidis, per fenestram euadendi facultas detur. Possitamen fieri ut ex sanguine meo vltior aliquis exoriatur.

Sed ne longior sim, pridie ad me venerunt Paulletus & Drurius, nuntiantes: quandoquidem nec culpam agnoscere, nec vllam poenitentiae signum edere velim, a regina sibi mandatum ut omnia regalia ornamenta a me auferant, ut quae iam insular mortua sum feminae. omni regia dignitate & honorum insignibus destituta. Quibus respondi, Me diuinitus ad hanc dignitatem vocatam, & reginam legitime vinctam esse & consecratam: eoque soli Deo me eam dignitatem vn̄cum anima mea reddituram: neque reginam ipsorum pro superiore, uti nec ipsius Consilium, aut illum haereticorum consilium pro Ludicibus meis agnoscere. sed velit nolit illa, reginam memoritiam Non plus illi in me potestatis esse, quam latroni in Principem aut Iudicem quemcumque iustissimum, in sylua deprehensum: ac sperare me, Deum post mortem meam iusta sua iudicia in hoc regno offensurum. Non noua esse exempla eorum Regum qui ab huius regni subditis crudeliter occisi sint Non mitius cum Richardo actum, & quidem eandem causam, ut scilicet iure suo priuaretur His virique ductis, quum nemo meorum deiecientis auleis aliisque ornamentis manum admouere vellet, sed omnes vna voce rem indignam clamarent

illi satellitibus aliquot vocatis, totam conclauem ornamentis denudarunt: deinde Paulletus confidens, caputque operiens, quia, inquit, post hac audiendus tempus non erit, abacum illum lusorium remoueri volo. Ego, Mea, inquam, parum interest, ut quo nunquam ex quo huc illatus est, visa fuerim: ut cui longe alia negotia per vos fuere exhibita. Heri pauillam meorum gregem congregaui, ac coram omnibus protestationem tam religionis quam innocentiae meae nomine repetij; simulque mandauit ut quaecumque facta hic sunt fideliter vobis exponerent Lotbaringia & Guisla Ducibus, aliisque meis cognatis omnia commendo quae ad animae meae salutem conscientiae meae subleuationem. & honoris mei reparationem pertinent; nec me tantum, verum ipsorum quoque respectu, quum non ego modo, sed & ipsi ad eadem Regine fidei precio conduxisse dicantur quorum tamen nihil ego nec scio nec credo. Tibi famulos meos, qui me perditum, omnia perdididerunt, iterum atque iterum commendo. Eis qua potes, tu meo nomine beneficia & succurre. Rubio meis verbis vale dicit: & quia ego quod ipsi receperam, me scilicet pro Catholica fide moriturum, praestiti, mone ut & ipse vn̄uersi Ordinis sui precibus & memoris me commendet. Equidem & ante haec semper optatus, & nunc quoque opto, vitam meam animarum quae in insula hac sunt salutis sacrificare. His extremum te valere subeo, rogans ut eius quae & regina tua & beneuolens fuit, honorificam memoriam semper retineas, & quod potes, eius salutis & honoris causa facias. Quod si quid vel in te vel quemcumque meorum inelementer a me dictum aut factum est, ignosce mihi rogo ac simul testor, nulla in re me vnquam fidem tuam aut diligentiam desiderasse: quoniam ita tibi obligatum me fateor, ut officijs ac meritis erga me tuis lubenter, libentius mihi vivere detur, satis factura sum. Nunc vero quoniam vita me prius quam voluntas deficit, Deum in vltimo vita mea sine precabor, ut mea vice tibi abunde omnia compenset. Vale vn̄cum omnibus meis: quos tanquam orphanos hic relinquo. Fodringham Anno MDLXXXVI. XXIV. Nouembrii.

Subscriptioni subiuncta erant quaedam verba, quibus rogabatur ut ad confutandum Anglorum mendacium, qui inuitam ipsam, quum aliud euadere non posset, in Angliam venisse dicebant, a Lochimuario, Heresio iuniore, Flaminio, & Archiepiscopi Santandreami haereditibus certissima testimonia pereret, quibus illi ingressum in Angliam dissuadebant, & ut aliud vel in Galliam vel in Belgium se reciperet hortabantur

Sed

Sed ad Tragedia huius Catastrophen veniamus, in qua regalis illus magnanimitas & constantia multo clarius elucebit.

*Ille quidem tanquam celsis radicibus arbor
Nixa, gerens mulier pectusque animunq; virilem,
Omnes excepit constanti mentis labores:
Queque viri exhorrent, alacris, nil terra vultus,
Nil animo subijt, similis læta, atque renidens.
At vos Francigenæ, Maria diademate sacro
Quis caput ornatum, sceptris duplicique decoram
Vulstis dextram hæc oculis tam tristia siccis
Aspicitis, toto nunquam spectacula Mundo
Visa? Quin, ut par est, generosas concipite iras,
Et tantum prohibete nefas.*

DE SENTENTIÆ CONTRA MARIAM
Reginam latæ exequutione; Bellicurij legato-
ne approfatione; incredibili Mariz
constantia, morte & sepultura.

CAPUT DECIMUMNONUM.

ARGUMENTVM.

- I. Capitalis sententia contra Scotia reginam publica-
tur, & exequutioni demandatur.
- II. Bellicurij Gallorum regis in Angliam Legatus
ut exequutionem latæ sententiæ impediret, quæ
tres menses ipsius respectu dilata fuit.
- III. Quid Scotia regina mortis sententiam indicantibus
responderit.
- IV. Tentatur ut à Catholica deficiat religione. Ante
mortem Pij V. Papa permissu, Eucharistiam ex
suis ipsa manibus sumit.
- V. Quanta constantia supplicium adierit: eiusque ex-
trema verba.
- VI. Magna gloria martyrium pro Catholica religio-
ne consummat, animamque Deo reddit.

Quemadmodum venti inconstantes, & modo remissi modo vehementes, nautis ac nauigantibus multo plus negotij ac periculi faciunt quam magna aliqua tempestas, quæ continuo flatu atq; impulsu nauim breui ad portum optatum propellit: sic longa illa viginti annorum captiuitas Mariæ reginæ multo plus molestiarum attulit, quam violenta mors, cuius beneficio portum salutis breui momento assequuta est. O miræ rerum mutationem! Id ipsum quod omnium malorum caput existimatur, in summam optimæ

reginæ felicitatē vertit! Videte perversi homines, quid vestri effecerint conatus. En illam ipsam quam vos ad abyssum vsque deprimere cogitastis, in summo gloriæ ac felicitatis fastigio collocatam. Ut merito dies hic quem ex omnibus vos acerbissimum ei fuisse putatis, lætissimus ac faustissimus ei fuisse censendus sit. Tum enim demum viuere illa, tum immortalis esse cœpit, quum per mortem hanc temporalem non vita solum ipsius, sed honor etiam atque dignitas omnino extincta credebatur. Quare triumphali hoc curru inuectam contemlemur ac sequamur, & in credibilem eius virtutem ac constantium admiremur, qua quanto magis deprimebatur, tanto magis exurgebat.

*nam quid formosius umquam
Gallia vidisti, quam quum tenera illa puella,
Bina manu gestans regali sceptris decore,
Permultis blando liquidum aera & athera vultu
Me miserum: quoniam tantus decor ille recessit?
Aspice pullato luctum testantia amictu
Omnia, post gladio quam pulchra & candida ceruix
Illa abscissa fuit, sacet & sine nomine corpus.*

Sed ut ad institutum reuertamur, Vix Commissarij, de quibus supra, Londinum reuersi, Elisabethæ quæ à Maria regina vel ipsi audierant, vel in causâ eius compererant, exposuerunt, quum statim in aula fama percrebuit, Mariam reginam capitis esse damnatam: quod factum fuerat etiam antequam illi Fodringhamum fuissent ablegati. Quæ quidem sententia IV. Decembris Anno MDLXXXVI. Richemundæ promulgata fuit: in qua Elisabetha, fatetur, Mariam se in fidem & patrocinium suscepisse: & sic perfidiam ipsa suam testatur & damnat. Non multo post Elisabetha nonnullis Angliæ proceribus mandauit, ut sententiam illam exlequerentur: quod mandatum huc apponendum esse duxi, ut liqueret (quod hæcenus præfracte negant hæretici) ad Mariæ damnationem nihil magis valuisse quam religionis respectum. Sic ergo habet.

Elisabetha, per Dei gratiam, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ regina, Fidei Defensatrix, Fidelibus nostris dilectis & cognatis; Georgio Comiti Sarisburiensi, magno Angliæ Marescallo, Henrico Comiti Cantij, Henrico Comiti Derbieni, Georgio Cumbriæ Comiti, Henrico Comiti Pembrochæ, Salutem. Visa sententia à Nobis & Consiliarijs nostris, Nobilibus & Iudicibus contra

Bb 2

Mariam